



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. De injuriis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T V L V S XXXVI.

DE INIVRIIS ET DAMNO DATO.

§. I.

De Injuriis.

Injuria prout hic de ea agitur, aliud non est, quam *Contumelia dicta, vel facta, vel scripta*; triplici enim hoc modo possum alicui contumeliam facere, verbis scilicet, cum alicui convicior; facto, vel gestu, cum manus alicui infertur, aut medius v.g. digitus ostenditur; litteris, sive per libellam famosam, aut carmen, alterius ad infamiam pertinens; & quamvis ad injuriam requiratur animus injuriandi, presumitur tamen hic semper, si verba vel facta &c. suapte natura sint injuriosa, ita ut etiam protestatio contraria nihil proffit, aut ab injuria excuset, ut si dicam alteri, mentiris, salvo tamen honore tuo & reverentia, cum sit protestatio contraria facto, & consequenter nihil relevet injuriantem, nec excuset ab injuria (saltem in foro externo) etiamsi verum sit crimen illud, quod objicit, nisi bonum publicum exigeret crimen alterius sciri, vel ad puniendum, vel ad inhabilitatem agnoscendam illius ad officium v.g. promovendi &c. excusatur tamen ab injurie actione, qui retorquendo injuriam sibi illatam in continentem & cum debito modo contra injuriantem se, injuriam illi

Compend, Pirking,

dicendo, defendit, cum hic non tam injuriam alteri dicat, quam se defendat. Potest autem in aliis casibus contra injuriantem duplex actio institui, Civilis scilicet, ad estimationem injurie, & poenam sibi adjudicandam, vel criminalis, ad poenam corporalem, aut fisco adjudicandam, aut saltem ad revocationem injurie, ita tamen ut hæc actio injuriantem, etiam tolli possit, ut criminalis est, per lapsum anni, prout sciunt Civilistæ, & absolute per remissionem expressam aut tacitam.

§. II.

De damno dato.

Statur quidem *in cap si culpa g. l. e.* restituere eum, & retaliare omne damnum debere, quod culpa sua, negligentia, vel impericia dedit, ita ut nec ignorantia damni eum a restitutione excuset, quia scire debuit, quod ex facto suo injuria alteri verisimiliter contingere possit, ita ut animal, quod nocuit, vel noxæ dare debeat dominus, vel estimationem damni præstare, si solum animal absque culpa domini, damnum dederit &c. quia tamen hæc, & plura alia, quæ in hoc §. referuntur, judiciaria præcepta sunt veteris Testamenti, ex lib. Exodi desumpta, quæ hodie expirarunt; vel

M m m m

fun-